



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidota Evangelica Contra Horvm Temporvm Hæreses

In Qvibvs Quatuor Euangeliorum illi textus explicantur, quibus vel hæretici hodie (maximè Calvinus & Beza) ad sua dogmata propugnanda vti solent, vel ad hæreticorum dogmata impugnanda Catholici vti possunt

Stapleton, Thomas

Lvgdvni, 1595

21. Audistis quia dictum est antiquis, &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39463

obeditur in grauioribus, vel omnis transgressio in leuio-
 ribus ignoscitur. Sed insurgit iterum hoc loco Caluinus &
 ait. *Prodigiosus est eorum stupor, quos non pudet sacrilega in-
 dulgentia remittere quod Deus seuerè exigit, & venialis de-
 licti prætextu legis iustitiam pessundare.* Hæc ille hoc loco.
 Sed venialis delicti prætextu legis iustitia non pessunda-
 tur, quia & *venialia delicta à lege argui & contra legis iustitiã*
fieri docemus cum Augustino, & contra legis perfectionem
ad quam contendere semper oportet, non autem contra
*rectitudinem necessariam faciunt; ideòque quàm diu con-
 tra illa pugnatur, legis iustitia integerrimè seruetur, vt mul-
 tis in locis Augustinus docet; maximè in libro de perfe-
 ctione iustitiæ. Vide opus nostrum de Iustificatione lib. 6:
 cap. 13. & seqq.*

*Lib. de
nat. &
grat. c. 126*

21. *Audistis quia dictum est antiquis, &c.*

A It hoc loco superbus Caluinus, *deceptos esse multos ve-
 terum, qui putarunt hanc esse legi correctionem, ac Chri-
 stum suos Discipulos in altiore perfectionis gradum extollere,
 quàm potuerit Moyses populũ suum. Moxq; multis verbis do-
 cet, legem in se perfectã fuisse, nullòsq; legis defectus hic à Chri-
 sto corrigi.* Postremò concludit, *non esse fingendum Christum
 nouum legislatorem, qui ad æternam Patris sui iustitiã aliquid
 addit, sed tanquàm fidum interpretem audiendum esse.* Cæte-
 rum Christum verè legislatorem fuisse, & ad æternam Patris
 sui iustitiam aliqua mandata addidisse, tum forma loquendi
 qua Christus hic vsus est, tũ aliæ Scripturæ manifestè docent.
 Hic enim docens, *Ego dico vobis, suã præcipiendi authorita-
 tem ostendit. (dicendi enim verbum, ait ipse Caluinus, ad illa
 verba, Diligite inimicos, denũciare vel præcipere hoc loco signi-
 ficat) quũ reliqui Prophete nunquã sic locuti fuerint, sed: Hæc
 dicit Dominus.* Vnde & postea sequitur in fine totius Cõcio-
 nis, *Cũ consummasset Iesus verba hæc, admirabantur turbã*
*super doctrina eius. Erat enim docens eos sicut potestatem habens,
 & non sicut Scriba & Pharisei. Quare legẽ quidem in multis
 interpretatur hic Christus, sed tum hanc ipsam interpreta-
 tionẽ tanquàm legislator promulgat (est enim legislatoris nõ
 tantum leges ferre, sed etiã eas interpretari) tum in quibusdã*
*etiam corrigit legem veterem, vt De non dimittendã uxore
 nisi fornicationis causa, quum in ea liceret dimittere quauis
 ex causa, dato libello repudij; De non iurando omnino; veterem.*

*Christus
verè legi-
lators*

*Infra
Matth. 7.*

*Christus
corrigit
legem ve-
terem.*

de diligendo inimicos: tum demum quædam veteris legis mādāta ipse alio quodam modo mandat & iubet: quale illud est.

Ioan. 14. Mandatum nouum do vobis, vt diligatis inuicem. sicuti eo loco explicabitur. Et iterum. *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem.* Et rursus sua mandata tantopere vrget, vt dicat:

Ioan. 16. Vos amici mei eritis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. Postremò

Matth. 28. Apostolicæ legationis hæc summa erat: *Docete omnes gentes, docentes eos seruare omnia quæcunque mandauit vobis.* Quare hanc insanam Caluini arrogantiam negantis contra veterum

Stff. 5. can. 21. hoc loco doctrinam Christum esse legislatorem, Concilium Tridentinum iusto anathemate percussit. Alias probationes vide apud Andream Vegam de iustificat. lib. 11. cap. 7.

25. *Si offers munus tuum ad altare.*

Dicit hoc loco Caluinus, *Christum pro illius secularitate de sacrificiis loqui, hodie dissimilem esse nostram conditionem.* Sed vt Christi doctrina eadem ac perpetua omnibus seculis sit, nec ad illud solum tempus restringatur quo Iudæorum sacrificia ad Dei cultum pertinebant, (quo nihil magis absurdum) necessariò fatendum est non solum in quolibet pio opere ad Dei cultum destinato hanc legem valere (qui tantum tropologicus est huius loci sensus) sed Christum ad literam de futuro in Ecclesia sua sacrificio externo (quod hæretici hodie agnoscere nolunt) hanc legem tulisse. Nam & nos habemus altare, de quo edere non possunt, qui deseruiunt tabernaculo, ait Paulus: de quo etiam sacrificio dicit: *Probet seipsum omnis homo, & sic de pane illo edat, &c.* Summa autem probationis pars est, vt omnis cum fratre similtas penitus aboleatur: quod hic imprimis Christum spectasse veteres interpretes annotarunt. Chrysost. homil. 16. vbi ait. *Audiant hi qui sacræ mysteriis initiati cum inimicitis ad communionem altaris accedunt.* Rursum homil. 11. operis imperfecti. Hilarius in Marth. Can. 5. & Augustinus lib. 1. cap. 20. de hoc serm. Domini in monte.

26. *Non exies inde, donec soluas nouissimum quadrantem.*

Catholicorum accusatio immerita.

Debacchatur hoc loco prolixè Caluinus contra Catholicos modernos, qui in perpetua huius loci allegoria purgatorium